

structiones facit lethales, sanguine postea vix diluentibus vel resolventibus auscultante; unde omne fere morborum acutorum genus produci potest.

717. Ergo initio semper cohibendus, nisi constet, materiem morbi adeo tenuem esse, ut cum primo sudore diffilari possit.

718. Prohibetur surgendo ex lecto; sedendo; corpus a nimis integumentis liberando; aërem frigidiusculum admittendo; calidis, calefacientibusque abstinendo; potu plurimo leni, blando, frigidiusculo saepe utendo, ut amissi damnum refarciatur cito, circulationem nimis velocem refrænando. (102. ad 106.)

#### DIARRHOEA FEBRILIS.

719. **D**iarrhoea pro materie habet mucum, lympham, gluten, pus, sanienam sanguinem, narium, oris faucium, oesophagi, ventriculi, hepatis, vesiculae felleae, pancreatis, intestinorum, mesenterii; pro causa vires in intestina expellentes validas, dum in ipsis intestinis contrahentes vires debiles, vel in vasis intestinorum absorbentibus impedimenta, ne admittant.

720. Quae liquet, fluorem alvi in febribus multiplicem esse quoad materiem;  
cau-

causam; effectus; eventum; adeoque saepe omnino incurabilem esse; & raro colliquativum, eumque vix unquam medicabilem.

721. Si continuatur diu, viscera abdominalia magis magisque in eundem morbum disponit; eadem labefactat; excoriat; inflammat; reliqua autem vasa & viscera emungit, exhaurit; hinc atrophia, macies, debilitas, dysenteria, inspissatio fluidorum per totum habitum corporis; solidorum laxitas; fluidorum jactura; leucophlegmatia; hydrops; tabes.

722. Sanatio absolvitur acris irritantis lenimine; expulsu per emetica, purgantia, clysmata; corroboratione laxi; pacatione impetus per narcotica; determinatione aliorum per sudores, urinasve; subductione materiae morbosae, correctio ejus fonte primo.

### EXANTHEMATA FEBRILIA.

723. **P**ustulae inflammatoriae habent ut plurimum pro materie aliquid, quod minima vascula cutanea transire non potest, sed ibidem haeret; pro causa autem vim vitae circulatoriam, secretoriam, excretoriam: unde pro variis hisce causis valde multiplices sunt, unde febres nomen dein accipiunt, erysipelatosae, scarlatinae, pete-